

CAPUT XI.

De Fuga Otij.

Multam malitiam docuit otiositas. Eccl. 33. Effectus Otij est casus Regis Davidis 1. Reg. 11. Iniquitas Pentapolitatum Ezechiel. 16. Et seductio vecordis illius juvenis Proverbior. 7. Videlicet sicut aqua stagnans & immota progenerat serpentes, bufones, aliaque animalia immunda ; sicut ager incultus profert spinas & tribulos ; sicut aer immotus pestilens existit & venenosus : ita homo qui serijs rebus corpus & animam non exercet,

ercet , pessimos scelerum & ini-
quitatum fructus producit , ma-
ximè si in delitijs vivat , & san-
guis in corpore juvenili adhuc
ferveat , His verò tam perniciosis
otij & desidiæ effectibus facilli-
mè obviabit Parochus , si omnes
totius diei horas eâ ratione &
modo distribuat , certamque cui-
libet horæ functionem suam ita
assignet , ut semper cum diabo-
lus occupatum inveniat . Ut enim
otiosus deficit ab ordine suo , sic qui
ordinem sibi constituit , otiosus
esse desinit , juvta Theophila-
tum in 2. Thessal. 3.


Præscribit hanc temporis di-
stributionem Celsissimus ac Re-
verendissimus Noster in suo De-
creto

creto suprà citato his verbis :
Functiones suas per integrum diem ita distribuent, ut nec otio, nec commissationibus, vel alijs indignis occupationibus locum dent; vultque Visitatores suos in eam distributionem studiosè inquirere, ut ibidem subdit. Loquitur de hoc ordine temporis etiam B. Laurentius Justinianus *Lib. de discip. & perfect. monast. convers. cap. 10.* dicens : *Maximi procul dubio periculi res est, pro ut suggerit animus, velle degere. Propterea cunctis consulendum est, ut taliter unumquodque disponant opus, quatenus quaelibet hora propriam habeat actionem. Sciant, quando orationi, quando lectioni, quando operi manum incumbendum*

dum sit ; ne acedia spiritu in mentis dubietatem vel hebetudinem evecti tempus suum inaniter consumant. Porro ab hac regula , quam sibi ipsi Parochus in observatione temporis præscripsit, recedere nunquam debet , aut in ullo casu dispensare , *Nisi fraternali charitate , vel necessitate aliqua , vel obedientia majoris retardetur , ne paulatim viam ad laxitatem sternat , ut benè monet S. Bonaventura myst.*

Theol. Cap.

3. p. 3.

......

CA-